

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0384

0382

0388

0378


0393

in quibus lavatur veritatis inimicus, Jontera 28 q. 1. C. Nullus etc. Prohibentur multa, in quibus Christiani non debent conversari cum Judaeis, inter quae communio in balneo nominatur, et qui secus fecerit, si clericus est, deponatur, si laicus, excommunicetur in suam poenam, et similis fiat, cui se aequaliter fecit communicando, quia excommunicatus aequiparatur deportato vel Sarraceno per Bal. in add. Spe. de spon. ratione. Idem autem est judicium de gentilibus, sicut de Judaeis. Videtur ergo, et ex his probatur, indecens esse, ut Christianus intret balnea Judaeorum vel Sarracenorum. Vide de hoc in Sum. Anca. Sarracenus.

Spero tamen, nos peregrinos poenam canonis non incidissemus propter necessitatem nostram, in qua etiam non prohibentur comedи azyma Judaeorum et idolothyta gentilium; tum etiam propter Papae dispensationem, qui licentiam nobis dedit ad partes Sarracenorum et licentiando peregrinum ad terras gentilium concedit communionem cum eis in mensa, balneo, et medicina; tum etiam, quia ex illa balneatione nullum evenire potest periculum, nec aversio nostra a fide, nec scandalum, nec aliquod peccatum, quia non est conversatio continua, nec familiaris, sed cito transit, et cum hoc non possumus eis conversari locutione, cum ignoremus linguam, quae omnes alias communiones superat. Sic ergo transivit illa dies.

Adventus Mamaluccorum et nostra cum eis conversatio.

Tertia die praeparavimus nos ad recessum, sed impedimentum grande intercessit. Venit enim exercitus multorum millium Mamaluccorum de Aegypto in regionem, ita quod tota civitas erat plena armatis et regio, et tentoria fixerunt per circuitum Gazarae, et dicebatur numerus eorum esse octo millia. Hos miserat rex Soldanus contra Turcomannos in Syria, ad humiliandum eos. Vagabantur autem per civitatem et multi ad nos sunt ingressi ad nos videndum, inter quos quidam Ungari venerunt, interrogantes, an aliquis peregrinus adesset de Hungaria. Et invento domino Johanne socio nostro laetati sunt valde et sub tentoriis nostris nobiscum sederunt et nobiscum comedierunt et biberunt, etiam vinum, sed occulte. Aliqui etiam



Ende

Anfang